

ORATIO FUNEBRIS  
DE LAUDIBUS  
**CAROLI VI.**

AUGUSTISSIMI  
ROMANORUM  
**IMPERATORIS,**  
HISPANIÆ, HUNGARIÆ, BOHEMIÆ  
**REGIS,**  
ARCHI-DUCIS AUSTRIÆ, &c. &c.

CUM EJUSDEM

AUGUSTIS MANIBUS  
IN METROPOLITANA D. STEPHANI BASILICA  
**UNIVERSITAS VIENNENSIS**

DIE XXII. MENSIS MARTII, M. DCC. XLI. justa persolveret.

SUB PERILLUSTRI, MAGNIFICO, SPECTABILI,  
CLARISSIMO, ac EXCELLENTISSIMO DOMINO

**DOMINO JOANNE ADAMO GERSTER,**  
NOBILI DE GERSTORFF,

Sac. Rom. Imperii, & Regni Bohemiæ EQUITE AC PROVINCIALI,  
Phil. & Medicinæ Doctore, nec non Professore Publico Eremito, Sac.  
Cæl. Regiæque Majestatis CONSILIARIO & ARCHIATRO, Celeberrime  
& Antiquissimæ Universitatis

MURARECTORE, AC

DICTA

A REVERENDISSIMO, PERILLUSTRI,  
AC AMPLISSIMO DOMINO,

**DOMINO ADRIANO,**

Exempti Monasterii Mellicensis, Ord. S. BENEDICTI, ABBATE,  
SS. Theologiae Doctore, S. R. Majestatis CONSILIARIO, Inclitor. Statuum  
Inferior. Austriae PRIMATE, & à Rationibus DEPUTATO, Status DD. Prælatorum  
PRÆSIDE, nec non Inclytæ Facultatis Theologicæ p. t.

**DECANO SPECTABILI,**

VIENNÆ AUSTRIÆ,  
LITERIS, LEOPOLDI JOANNIS KALIWODA.



**A**tis jam lacrymarum  
superiorum temporum ini-  
quitas absumperat : fortu-  
næ acerbitatem nostra fran-  
gi tolerantia , Superos pre-  
candi assiduitate flecti ali-  
quando posse putabamus.

Jam pacem cum hostibus constituimus, mors  
ipsa tantis per Hungariam fatiata victimis  
quietem spondere visa est : soli pacem Su-  
peri respuebant. Magna scilicet litandum  
erat victima, ut nos puniri sentiremus. Ja-  
cet **MAGNUS** ille **CÆSAR**, per quem salus  
tot Regnum stetit, atque ita jacet, ut animi  
cum eo nostri , ut vota, & desideria nostra

A

conse-

conseputa videantur. Quem , dum vixit, amare satis non potuimus, quia infinita fuerunt ejus in nos merita : postquam obiit, lacrymis sat prosequi non possumus, quia doloris magnitudine prohibemur.

Solent nimirum eo pacto mori boni Principes, ut suorum eos comitentur lacrymæ : Optimorum obitus non nisi e pallidis vultibus , intercepta suspiriis voce , atque ipsa adeo lacrymarum impotentia leguntur. Horum e numero cum semper fuerint PRINCIPES AUSTRIACI , ea causa nati, ut haberent populi , quos amare cogerentur , tum erexitus nuper CÆSAR ita OPTIMI cognomen-  
tum sua virtute est promeritus , ut JUSTUM simul , FORTEM , PIUM , atque omni Virtutum genere MAXIMUM diceremus : quem a Superis propterea nobis datum arbitror , ut sentiremus ipfi, quam felix tali PRINCIPI servientium sit conditio : ea causa repetitum , ut quantum in animis hominum luctus possit , nostro exemplo disceremus. Et vero quis illius CÆSARIS obitum non lugeat , qui suo sub imperio neminem lugere paſlus est : quis parentare lacrymis ei audeat , cui si parentare dignis vellet , sanguineis deberet ?

Affl.

Afflita nimium AUSTRIA ! quæ tempore non multo tribus orbata es PRINCIPIBUS, quibus meliores non habueras, & quorum immortalia in te merita effecerunt, ut nulla jam re posses, nisi aut ipsa tua magnitudine, aut aliorum invidia laborare. Nam, cum antea non semper maximis circumscripta finibus bellum sæpe in ipsa viscera recipere coacta sis, horum fortitudine audita es Regnis, quæ pro muris habes : horum Providentia tibi datum est pace tam diuturna frui , ut oppressum tot bellis caput erigere tandem liceret. Verum quid ego trium vulnerum memoriam verbis renovo? quando vel unum hoc, quod postremum accepimus, tam est grave ac acerbum , ut ei ferendo impar animus semetipso destituatur. Neque mirum esse debet, si tanti CÆSARIS jactura doloris nostri vires supereret, cuius virtus ac beneficia spei, ac votorum , quæ habuimus, magnitudinem superarunt. Quæ, ut grati animi recordationem a nobis exigunt, ita doloris nostri vim non parum lenit , quod de maximis demortui PRINCIPIS virtutibus libere jam loqui , quæ sentimus , liceat , eaque palam dicere, quæ silentio tegere incre-

dibilis inter nos agentis modestia imperavit. Quamquam ista quoque verbis efferre sic non possumus, ut non vel solis oculis majora longe, quam quæ dixerimus, passim occurrant.

Est nempe suum sibi virtus præmium, nec æquari se laudando patitur, quando nihil ea causa facit, ut laudetur; seu speciem adulationis timeat, seu quæsita illa laudatorum officia infra dignitatem suam ducat. Neque tamen prohibere potest, ne admirationi sit omnibus, tanto majori quidem, quanto magis cum difficultate conjuncta est, & fortunæ vicissitudines ipsi virtuti non semper pervias experitur. Atque talem in erepto nobis CÆSARE suspeximus; quis enim ingentem illum animum, & æquabilem in fortuna tam varia immoti pectoris constantiam non admiratus est? quis incredibilem in ipsa virtute, qua multi non raro abusi sunt, moderationem non vidit? Quæ profecto in summa potestate dotes tam magnæ sunt ac singulares, ut eum PRINCIPEM vita etiam, aut, siquid est vita charius, redimendum arbitrer, in quo conjunctæ reperiuntur. Facit Princeps ejusmodi, ne in se quid-

quidquam possit Fortuna, cui Virtutem ob-  
jicit, Virtutem ipsam efferre se non sinit,  
quam sic in sua potestate habet, ut fines  
egredi non audeat, quos ei, ne Virtus esse  
desinat, animus tam excelsus præscripsit.  
Quod si porro suum etiam erga D E U M  
officium probe noverit, non cum aliquo-  
rum tantum hominum, sed totius orbis im-  
perio dignum existimabo. Quam vero ar-  
cto nexu hæc tria conjunxerit, quem sum-  
mo omnium luctu amisimus, CÆSAR, ap-  
parebit facile, si illam Ejus animi Magnitu-  
dinem, qua Fortunam Virtuti, Virtutem  
sibi, se denique ipsum DEO per omnes vi-  
tæ ac imperii sui annos subjecit, copiosius  
intelligetis.



Ortuna, quantum etiam in Reges  
possit, experti sunt illi, qui suo-  
rum Principum aut crudelitatem,  
aut ignaviam accusarunt. Facit hæc quo-  
rundam animos ita tumidos, ut quando ho-  
stes nuspiam apparent, in quos fæviant, ad  
tyrannorum gloriam profuso Civium opti-  
morum sanguine, graffentur; quosdam

ro ita frangit, ut abjectis Regnorum curis  
mœrore quodam animi contabescant: pau-  
cos supremo in fastigio sic versantes vidi-  
mus, ut nec Fortunæ blanditias ad animum  
admitterent, nec a sua magnitudine defice-  
rent, cum ea parum æqua uterentur. Ti-  
bi CÆSAR! primum timendum non fuit:  
quidquid prospere a Te gestum est, Virtus  
Tua fecit, Fortuna de suo nihil contulit: sic  
Te illa persequi semper visa est, quasi vires  
omnes adversus Te unum collegisset. Re-  
tulisti Tua Virtute victorias, Fortuna hosti-  
bus æquiorem se præbuit: expugnasti Ur-  
bes ac Provincias, illa, ne Tibi progredi li-  
ceret, modis omnibus intercessit; pacem  
Regnis Tuis tam salutarem statuisti, im-  
missis illa hostibus bellum coegit repetere:  
votorum potiri visus es, illa uno iectu spes  
amplissimas abrufit.

Ostendere jam tum cœpit, qualis erga  
Te futura esset, cum in Europam ultimam  
ad quærendum Regnum Tibi jure nascendi  
debitum abires. Causæ Tuæ æquitas pa-  
lam erat omnibus: Tuum esse Regnum ne  
illos quidem latuit, quorum addicta pretio  
fides Tibi aditum occlusit. Vedit Te per-  
gentem

gentem Fortuna, & hostibus a Virtute Tua metuit, nihil tam firmum fore rata, quod conjuncta cum tanta Fortitudine Justitia non expugnaret. Concitavit in Te primum maria, ut cum undis ventisque prius, quam hominibus, decertare cogereris. Vicit Tua CAROLE! Pietas, quæ uti animo concidere Te nunquam passa est, ita Superis curæ fuit, ne tam clara Virtus in ipso limine opprimeretur. Fecerunt illi, ut Hispaniæ portum tam gravi periculo defunctus attingeres, quo Fortuna Te præcesserat, ut manus aliquid procuderet, jam semel edocta, quocum rem suscepisset.

Vides Hispaniam REX MAGNE! avitum AUSTRIACORUM Regnum est, nemo Te propior, qui demortuos Reges sanguine attingeret: quid dubitas hæreditatem adeo amplam a Superis Tibi oblatam capessere? Si discriminis aliquid occurrerit, militem habes, quem e Germania advehis, non numerosum quidem, sed assuetum victoriis: Dux bellandi apprime gnarus est: Fortuna ipsa in hoc rerum statu Tibi se opponere non audet: propera, ut Coronam Virtuti Tuæ debitam accipias. At enim ubi pedem figes?

omnia, quæ intueris, Gallorum sunt: non agnoscunt Te Tui: portus nullus patet, in quem tuto Te recipias: aperiendum est Virtute, quod Fortuna pertinaciter occlusit. Et vero cedit jam invictæ Fortitudini arx Gibraltaris, sola e tot Urbibus Barcino legitimum REGEM accipit, Mons Jovius injectis ignibus obstinationem dedocetur, Catalaunia omnis tanta Virtute perterrita, Domino suo sese submittit.

Connivere ad hæc Fortuna visa est, ut majus discrimen objiceret, non alia de causa Barcinonis portas aperiri passa, quam ut clausum intra muros REGEM extremis viribus adoriretur. Nec differtur tam nefarii consilii executio: jam collectæ Gallorum & Hispanorum acies obsidionis signum præstolantur, jam urbis portum hostilis classis occupat, quatuntur muri nuperna strage diruti, & crebris ruinis aditum hosti patefaciunt, urbs annona, milite, rebus omnibus ad se tuendam necessariis laborat: conclamatum est de salute Regis & Civium, Fortuna præstantissimis consiliis viam omnem interclusit, aut properata ditione urbis emenda servitus, aut mors in horas singulas,

quin

quin & momenta expectanda , & quod caput est, mensem jam , & amplius tristissima hæc rerum species obtinet , ac quotidianæ mortes obversantur. Lamentantur interea Regis sui iniquam sortem Summi ac Infimi, omnes anguli gementium vocibus impletur , despondent animum fortissimi , spei nihil aut salutis vel audacissimo cuique se ostendit. Et quis in tanta perturbatione rerum animo non concidat? quis de sua magnitudine, si etiam summa foret , non vel aliquantum remittat ? solus hanc retinuit **CAROLUS** ita integrum , ut aucta etiam tantis malis videretur ; ille suorum animos erexit, ille urbem incredibili Fortitudine sustinuit , ille rebus humanis desperatis miores sibi esse foederatos docuit , dum concepto voto cœlum ipsum ad se tuendum evocavit. Et vero quid non potest Virtus? suscepere Fortissimi REGIS causam Superi , & appulsa præter expectationem Classis Anglica oppugnationi finem , fugiendi necessitatem hostibus , Victori REGI obsidionalem coronam imposuit, quæ ejus animi Magnitudini ac Virtuti debebatur. Non mirarer ego tamen summam hanc in defendenda

urbe Fortitudinem, desperationi, quam Virtuti propiorem dicerem, si ea fuisset obfessi REGIS conditione, ut vitam ac salutem suam, nisi pugnando, redimere potuisset: at vero, ubi non una via tantum caput præsentissimo discrimini eripiendi apparuit, ubi suorum lacrymis, ut in tutiorem locum se reciperet, tantopere sollicitatus est, nec cessit tamen, tanto me stupore teneri sentio, ut verba non inveniam, quibus tanti facinoris magnitudinem pro dignitate adæquem. Fortuna certe incredibili HEROIS MAXIMI Virtute ita tum oppressa est, ut ab accepta tam insigni clade se colligere vix posset.

Penetratum his animis in ipsa Regni viscera, sed fortunæ malignantis vitio fortius iterum, quam felicius res gesta. Quid agis REX Magnanime! odit Te fortuna: vides, quo Te iterum furore ad Almanzam persecuta sit? vides, ut Victorem e Castilia jam bis ejecerit? excelsa quidem animi Tui Virtus est, sed rebus adeo arctis, in tanta Tuorum militum paucitate, in tanta hostium potentia, metuo, ut sufficiat: satis illam servata Barcino toti orbi approbavit; depone tantisper arma, intra Catalauniæ Te

fines

fines contine, præstolare subsidia, quibus  
auctus valentior in hostem ruas, & fortitu-  
dinis Tuæ fructum tanto uberiorem conse-  
quaris. Quid enim e tot pugnis, fortuna  
rebus Tuis tam infensa, sperare potes aliud,  
quam ut imminuto militum paucorum nu-  
mero aut in potestatem hostium devenias,  
aut Regno toto ejiciaris? sed non movetur  
his verbis **CAROLUS:** jam ad Cæsar-  
Augustam Virtutis præsidio fortuna supe-  
rata est, & accepta ad Almanzam clades non  
sine fœnore hosti reddita: fortunæ cedere,  
quam vinci a se posse docuit: erecta tot ma-  
lis Virtute in maiores ausus assurgit: non il-  
lum summa belli prosequendi difficultas ter-  
ret, non frangit ejus animum tanta even-  
tuum varietas, tanto ipse major est, quanto  
res desperatæ propior apparebat. Digna  
plane Virtus, quæ non uni tantum Regno  
imperet: supremo in fastigio collocari de-  
bet, ne latuisse videatur.

Perge REX! quo Te populorum vota,  
quo Te merita Tua evocant: sat sanguinis  
ac sudoris Hispaniæ impensum est: vicisti  
gentes illas Virtutis Tuæ Magnitudine, quas  
expugnare armis Te fortuna non sinit: vi-

debunt aliquando illæ non sine lacrymis, qualèm in Te REGEM sibi eripi sint passæ; committit Te rursum mari, Genuam plenis velis advola, eodem, quo ejus portum tenebis, die, Imperii Principes, qui summam ad eligendum IMPERATOREM potestatem obtinent, ROMANORUM Te REGEM dicent, mox etiam IMPERATOREM salutabunt. Quid dubitas, accepto Francofurti diademate, AUSTRIÆ Te reddere, quæ tanto Tui videndi desiderio tenetur? En! quam improvisa rerum omnium facta sit mutatio: nemo Tibi hostis, nemo, qui viam armatus obsideat, nemo, qui Te intra muros clausum in discrimen adducat: patent Tibi omnes aditus, summis Tuorum Civium studiis, summa omnium Ordinum voluntate redux ex peteris: effusa in plateas omnis ætas & sexus Te convenientem præstolatur, gratulantur Summi æque ac Infimi, vota pro Te concipiunt, tantum est inter omnes gaudium, ut in lacrymas erumpat. Uttere! hac fortuna IMPERATOR! utere hoc amore Civium: nihil jam est, quod metuas, fortuna Tecum aut inducias pepigit, aut pacem fecit, aut Virtuti etiam Tuæ suffragatur.

Sed

Sed quid hoc esse dicam CÆSAR? atti-  
gisti Urbem Patriam, vides avitam Majo-  
rum Tuorum Regiam: res charissimas non  
vides: ubi MAGNUS GENITOR vita ipsa Tibi  
charior? rebus humanis ereptus est: ubi in-  
timo amore conjunctus FRATER? brevem  
vitam morte præmatura clausit: ubi Au-  
GUSTA Conjux, rebus omnibus plus dile-  
cta? inter hostiles insidias, inter maris ac  
ventorum pericula remansit: quid fœdera-  
torum defectio? quid AUSTRIÆ ipsius visce-  
ra depascens lues, a qua nec Aula satis tuta  
est? quid Tibi ad hæc animi? quid consi-  
lli est IMPERATOR? nondum aliquid de Tua  
Magnitudine remittis? Quod si minora vi-  
dentur ista, quam ut Virtutem tam excel-  
sam moveant, atrociora Te expectant. I  
modo, rem Christianam in Peloponeſo &  
Corcyra laborantem Tua Fortitudine ad  
Danubium restitue: Italiam a ferocissimi  
hostis metu libera: Temesiam, Albam Græ-  
cam, Serviam omnem cum Walachiæ par-  
te Regnis Tuis adjice: Turcarum Imperio ex-  
tremam cladem ac exitium minitare. Vi-  
des, ut pulcherrimi, & Christiano Nominis  
tam salutaris operis progressibus fortuna

intercedat? vides, ut illi Tui nuper in Hispania hostes bellum summis viribus in Siciliam transtulerint? ut hærentem jam summo Republicæ Christianæ bono in Barbarorum jugulis ensem in Italiam avertant? Quantum hoc animo Tuo vulnus CÆSAR! qui suscep-  
tam tanta fortitudine Divinæ causæ defen-  
sionem, quod in omni vita optabas maxi-  
me, ultra prosequi non potes. Habuisti  
tam præclaræ voluntatis adjutores Superos,  
fortuna ipsa in hoc bello immiscere se non  
ausa est, quando non Regnorum cupiditate,  
sed proferendi Divini Nominis, & Ecclesiæ  
tuendæ desiderio gerebatur. Testantur ma-  
gno numero erecta Templæ & Cænobia, te-  
stantur missi Præcones veræ fidei, cui tum  
bellaveris, num Tibi aut CHRISTO potius  
nova Regna sis lucratus. Non sinit tamen  
fortuna progredi, & quando in tam justo  
bello Tibi se opponere non audet, alienam  
invidiam stimulat, quæ laborantibus Barba-  
ris ab Occidente succurrat. Gravis profecto  
dolor, & cui, haud satis scio, an par esse ul-  
la Virtus possit: vicit tamen Tua, quando  
ingenti plane animo certam tot victiarum  
gloriam eripi Tibi passus es, & pacem Bar-  
baris

baris pene jam obtritis dedisti. Valuit hæc ipsa Virtus, ut pari fortitudine in Italia rem gereres, & causæ Tuæ justitiam victoriarum celeritate, ac magnitudine cœlum ipsum comprobaret.

At enim parum est, quod dixi: blandiri, cum hæc ageret, fortuna Tibi visa est: victoriarum illa cursum in Oriente inhibuit, compensatus est dolor victricibus in Italia armis: quin felix etiam dici poteras, qui exiguo tempore hostes duos Tibi semper infensissimos tantis cladibus affecisti. Verum majus longe vulnus in animo Tuo video, cuius justissimo dolori, si cessisses aliquantum, tamen Magnus dicereris. Extincta est illa tot Regnum spes ac expectatio, Patris amor, populorum desiderium, unica Tui Generis Propago tot votis expectata, tanto gaudio accepta, & vix nata contabescit. Ergo istud Pietas Tua meruit, ut tot precum ac lacrymarum fructu vix ostenso fraudareris? Hocne Fortitudinis Tuæ, qua Divinum Numen provexisti, præmium, ut illato sub idem tempus tam acerbo vulnere omnis Tibi victoriarum gustus adimeretur? Hæcne illa erat felicitas, quam Tuorum

Tibi amor a Superis precatus est , ut Nomini-  
nis Tui dies tali morte funestaretur ? Quid  
cogitas IMPERATOR ? non sentis justi doloris  
magnitudinem ? nihil Te expirantis Filii su-  
premi anhelitus ? nihil circumstantium la-  
crysma commovent ? non frangunt Pater-  
num pectus illi oculi , quibus innocens hæc  
mortis victima opem Tuam implorare visa  
est , quibus Te valere jussit , quem salutare  
verbis nunquam potuit ? Quis Tibi ad hæc  
animus est IMPERATOR ? Is , qui occubuit ,  
Hæres fuit , alterum ne expecta : ita cœlo  
constitutum est : nondum illud inclemen-  
tiæ accusas ? Cogita diurnam fore hujus  
vulneris memoriam , quantumcunque se Tua  
Virtus opposuerit , exticti Filii recordatio  
se se ingeret : finge tristissimum spectacu-  
lum ante oculos Tuos repeti , & vero quo-  
ties in animo repetetur ? an non palles ? non  
conturbaris animo ? né vultum quidem mu-  
tas ? O inauditam Fortitudinem ! O Virtu-  
tem ! cui parem orbis non habet . Non mo-  
vet Te amissi Filii recordatio , quem in auro  
æquilibri DEO , & CELLENSI VIRGINI  
statim a morte obtulisti : ita doloris maxi-  
mi acerbitatem , ita fortunam post homines  
natos

natos iniquissimam incredibili Virtute superasti.

Respira CÆSAR ! non habet jam illa fulmen , quo Te petat , Virtutis fastigium asecutus es , exarmata est fortuna , cœlum ipsum tanto Victori gratulatur . Sed nondum laborum finis est : atrocior longe , quam unquam senseris , tempestas ingruit , majora Virtuti Tuæ bella , acerbiora animo vulnera intentantur . Non Sicilia jam sola petitur , non unius Regni finibus belli furor continetur : Neapolim inimica classis obsidet , Rhenus omnis ac Italia hostilibus armis incursatur , nec bellum ante indicitur , quam summis viribus inferatur . Ad hæc audita quiescunt armorum Socii , in Te unum tota vastissimi belli moles incumbit : adferuntur sub ipsum initium tristissimi de urbibus captis nuncii , Regna integra in potestatem hostium devenisse memorantur : cæditur in ipsa victoria Dux fortissimus , optima consilia prospero eventu carent , fortuna non jam in Te pugnare viribus atque armis solitis , sed extremum in Te furorem convertere , omnes in Te artes suas experiri videtur . Audis hæc CÆSAR ! integratatis Tuæ ac pro-

videntiæ Tibi conscius : nec latere Te potest, quibus adversus Virtutem Tuam armis fortuna utatur. Non moveris tamen , nihil de amore Civium , nihil de consueta Regnorum cura ac vigilantia , nihil de Pietatis studio remittis : perstat idem animus nihilo contractior , eadem mentis est tranquillitas , vultus ipse nihil mutatus appetit. Instant armorum Socii, ut bellum in Orientem transferas , & , quæ animi Tui Virtus est , etiam obtinent : verum nihilo illic Tibi faventior rem se fortuna ostendit , ille militum Tuorum flos ac robur morborum copia absumitur , spes amplissimas eventus destituit: nec jam cum solis hostibus , sed cum pestilenti etiam cœlo depugnatur. Pro! quanta hæc malorum vis & acerbitas ? quanta in animo Tuо vulnera IMPERATOR ! quæ sic accipis , ut ne sentire quidem videaris. Ego profecto sic existimo , quod , si etiam cætera abeffent immortalia Tua in nos merita , vel hoc solo nomine , quod in tanta fortunæ ini- quitate Imperii curas non abjeceris , Tibi vi- tam & sanguinem , nosque totos debere- mus , neque ullum reperiri posset aut obse- quii genus, aut grati animi testimonium, quo

vel hujus beneficii magnitudinem aliqua ratione assequeremur. Quomodo jam illud adæquabimus, quod tam difficilis Imperii molem ita sustinueris, ut mala nostra longe minora sentiremus? Nempe Tua solum Virtus tanta extitit, ut omnes fortunæ impetus immota exciperet, & quidquid illa malorum excogitare potuit, incredibili & plusquam humana Fortitudine superaret.

Sed, quoniam ipsa Virtus, nisi suos intra limites contineatur, modum egredi non raro solet, illud nunc videndum est, qua ratione Virtutem sibi **CAROLUS** subjecerit, ut illius Magnitudinem ex hujus usu tanto clarius intelligamus. Ego quidem sic existimo, Virtutis Dominum eum dici oportere, qui Virtutem quamlibet, cum res postulat, in promptu habet, qui in ejus exercitio moderatione utitur, &, quod peccari ab una posset, altera opportune corrigit, qui denique Virtutem facit non suæ tantum magnitudini aut commodis, verum etiam saluti cum primis Reipublicæ ac suorum Civium famulari. Hæc tria qui obtinet, quidnam illi ad summum in Virtutem ipsam imperium deesse possit, non apparent. Jam

autem , quis earum rerum , quas aut oculis ipsi nostris usurpavimus , aut non obscuris aliorum testimoniis accepimus , tam ignarus est , ut , quam conjuncta hæc in CÆSARE nostro fuerint , non videat ? Debuit hoc fortunæ odiis CAROLUS , quod tam multiplicis Virtutis exercendæ occasionem natus sit , ut in dies pene singulos alia ex alia se offerret , illud vero sua consecutus est Magnitudine , quod earum nullam sibi eripi sit unquam passus . Revocate tantisper in memoriam omnes illos annos , quibus Romano Imperio & Regnis præfuit : quis illum unquam casus aut expertem consilii , aut imparatum invenit ? Longum foret illam excelsi pectoris Fortitudinem ac Constantiam repetere , quæ , quanta fuerit , fortunæ iniqitas ostendit , & Magnitudo illa docuit , quæ CÆSARIS animum æqualem semper , & moveri nescium effecit . Imperavit hæc fortunæ Virtus , CAROLO famulata est , prompta semper , seu illius impetus excipere , seu Facilitati Principis decedere jubetur .

Quanta vero in Justitiæ administratione sanctitas ? quanta in discernendis causis dilig-

ligentia? quanta in constituendis Judicibus  
sollicitudo? quando ille aut clari generis, aut  
magnarum opum rationem habuit? quan-  
do Potentiorum invidia opprimi quemquam  
est passus? quando denegatam Justitiam  
non severissime est ultus? Testantur Justissi-  
mi CÆSARIS hoc in genere vigilantiam aucta  
Tribunalia, testatur commendata Judicibus  
& sœpenumero, & verbis gravissimis mune-  
ris tanti cura atque in eo adimplenda æqui-  
tas, testatur sollicitudo illa, quam adhibuit,  
ne Justitiæ Præsides corrumpi se muneribus  
& sententiæ æquitatem venalem esse pate-  
rentur. Quid quod ad cognoscendas ma-  
joris momenti causas non raro plures con-  
stituerit, qui prolatam ab uno judice senten-  
tiam, ne fraudi locus esset, etiam ipsi exa-  
minarent. Non miror nunc ego illam ani-  
mi Tui fiduciam CÆSAR! qua morti pro-  
ximus, per omnes Imperii Tui annos nega-  
tam nemini justitiam, Te conscio læsum ne-  
minem pronuntiasti. Ubi vero violata le-  
gum sanctitas, aut perturbata quies publica  
vindicem imploravit CÆSAREM, quando  
ille unquam exorari se passus est, ut admis-  
sa crimina, aut perniciosos reipublicæ Ci-

ves impunitate donaret? quanto studio sub ipsum mox initium nocturnas rapinas, ac latrocinia cohibuit, cum advocatis equestribus copiis, & constitutis in facinorosos pœnus, ita scelerorum compressit audaciam, ut exiguo tempore securitatem sibi redditam urbs hæc læta miraretur. Valuit hæc optimi Principis opportuna tum severitas, ut per reliquos Imperii sui annos raro admodum ea uti cogeretur.

Tantus in reddenda Justitia cum fuerit, quantum in remuneranda suorum fide, & præclaris meritis eum fuisse existimatis? quoties levia obsequia ingentibus compensavit, aut, quod verius est, superavit beneficiis? quoties exigua fides præmium etiam in hæredibus est adepta? ut præteream auratos torques, distinctas gemmis effigies, atque alia hujusmodi, quorum numerum inire quis poterit? Vidimus ipsi, quanto sumptu ac majestate paucis abhinc annis erepto Duci FORTISSIMO parentaverit, ut Virtus tanta etiam a morte ornaretur: quid erectæ militibus, quibus aut per ætatem, aut valetudinem, aut accepta vulnera bello interesse jam non licuit, amplæ domus, &

affi-

assignatum eorum sustentationi peculium,  
ut & illi laborum fructus & in se metipsis &  
in Filiis haberent? Ita Suorum bono natus  
CÆSAR eam quietem, commoda, gloriam,  
quæ sua ipse Fortitudine, suis consiliis, quin  
& periculis obtinuit, ad alios potius, quam  
ad se voluit pertinere.

Qua porro sapientia res omnes gesserit,  
qua Providentia etiam longe dissipata prospe-  
xerit, quis est, quem lateat? Admirati su-  
mus illam ingenii felicitatem, qua scientias  
prope omnes ad miraculum complexus est,  
& difficillima quæque summa celeritate pe-  
netravit. Suspeximus illam non Patrii so-  
lum, sed Romani etiam, Hispanici, Gallici,  
ac Italici sermonis ubertatem. Advertit  
peritissimorum animos summa in consiliis  
promptitudo, in rebus dignoscendis, ac per-  
tractandis maximi ponderis negotiis facili-  
tas, in tanta denique rerum varietate ac mul-  
titudine præsens semper animus, quo re-  
sponsa dabat singulis, & eodem saepe tem-  
pore sic agebat, & complectebatur pluri-  
ma, ut tantum singulis intentus esse videre-  
tur. Qui vero inde fructus in rem publicam  
pervenerint, Regnorum tranquillitas, metus

hostium, Civium felicitas ubertim ostendit.  
An enim unquam Majores nostri etiam pa-  
cis tempore tam numerosum conspexerunt  
militem, quam sub Te CÆSAR! an discipli-  
na militum magis viguit, ne, qui hostem  
non metuerent, eorum animi aut otio, aut  
vitiorum consuetudine frangerentur? quis,  
Te CÆSARE de invisa illa priorum tempo-  
rum licentia, de rapinis ac cædibus conque-  
ri auditus est? quis transeuntem militem  
non etiam gaudens suscepit? Atque inde il-  
la pacis diuturnitas, quies Civium, bono-  
rum omnium abundantia profluxit, inde  
factum est, ut plures populi Tuam amici-  
tiam tanto studio expeterent, immortaliter  
sibi consultum fore rati, si Tua Fide, Ma-  
gnitudine, Sapientia defenderentur. Et  
hæc quidem pacis tempore: bellum ubi ge-  
ri oportuit, quantum semper robur exerci-  
tus in aciem eductum? qua sollicitudine de  
annona, rebusque necessariis prospectum?  
quanta velocitate classis integra in Danubio  
erecta est? quam sapientibus consiliis Du-  
ces ac milites armasti? quæ porro illa Tua  
fuit Providentia CÆSAR! qua perpetuæ Re-  
gnorum paci ac securitati sic a Te consultum  
est,

est, ut, quando immortalem Te, quod optabamus, habere non potuimus, tranquilla tamen ab obitu Tuo tempora, & Principem Tibi similem haberemus? Adde his servatam hisce annis a vicinæ pestilentia metu AUSTRIAM, adde in tanta temporum acerbitate sic procurata Provinciarum commoda, ut sentire quisque debuerit, quam nobiscum commode præ aliis gentibus ageretur. Ita Tu quidem CÆSAR! ignorare nos nunquam passus es, quam promptam omni tempore, quam domesticam, quin & famulam Virtutem haberes: illud nos Moderatio Tua latere voluit, cui Virtuti plus tribueres, quando sic omnes animo complexus es, ut earum aliqua vel parum uti, vel abuti non posses.

Rapere admirationem omnium tanti CÆSARIS Fortitudo visa est: usus ille hac Virtute, ut sua Regna defenderet, nunquam usus, ut alieni quidpiam per injuriam occuparet: pace victoriis parta ultra progredi, tametsi posset, noluit, contentus ostendisse hostibus, quod eos perdere potuisset: qua moderatione illud simul obtinuit, ut ejus armorum justitiam æquissimus quisque rerum

arbiter agnoscere deberet. Vidimus ingen-  
tem illum in summa fortunæ iniquitate ani-  
mum: ita obfirmatum non vidimus, ut vel  
aliquo remedio, quo corrigi fortuna posset,  
sua voluntate abstineret: Pietas fuit & in  
DEO fiducia, quæ illius animum malis om-  
nibus majorem reddidit, ac mirabilis tran-  
quillitas, qua, cum nihil ad res bene geren-  
das a se prætermissum sciret, in DEI tamen  
aliter disponentis arbitrio placidissime ac-  
quievit. Sed quoniam huc devenimus, ut,  
quos Fortitudini suæ limites constituerit, vi-  
deremus, quæ in Majestate ipsa Comitas,  
Facilitas ac Modestia eluxerit, præteriri a  
me non debet. Et vero quoties manus illa,  
quæ imperia populis, clades hostibus divise-  
rat, levandæ miserorum necessitati patuit?  
quoties humana pene conditione major ani-  
mus ad infimorum preces ac suspiria se de-  
misit? Neque sane de Majestate illa quid-  
quam tunc detractum est, quin major lon-  
ge apparere debuit, cum eam Optimi Prin-  
cipis facilitas etiam cominus spectandam  
indulgeret. Inde illa quoque in exteriori  
cultu Modestia, quam adhibuit, Magnitu-  
dinem animo a Virtute inditam non egere  
splen-

splendore vestium , magisque Principem dicendum ratus , qui Virtutibus , quam qui auri vel gemmarum pondere ornaretur . Nihil in tanto CÆSARE fastūs , elatum nihil , summa tamen omnia , eademque erga Summos æque ac Infimos benignitas , majestas eadem , metuenda nulli , nisi reprobis , dedignata neminem , præterquam eos , qui , cum Virtutes Principum silentio venerari nesciunt , illarum magnitudini adulationibus obtrectant .

Atque hæc erat in Fortitudine , hæc in Majestate moderatio : Justitiæ vero rigor quoties clementia temperatus est ? quoties emendatione scelerum , & reorum pœnitentia contentus , fundendo sanguine abstinuit , probe gnarus , majus aliquid præstare Principem , cum servatis opportuna fæpe lenitate Cibis peccandi voluntatem adimit , quam si vindice semper gladio scelerate agendi eripiat potestatem . Quo in genere pertinax illud silentium admirari satis nequeo , qua injurias ipse suas ultus est , seu eas magnitudine quadam animi despiceret , seu docere ingratos vellet , quam bonum Principem nulla causa offendissent . Neque tamen lenitas

hæc tanta fuit , ut nunquam ad punienda etiam morte crimina descenderet , quando in reos incidit , quorum inveterata longo usu malitia , aut projectus ad quidvis agendum animus , nisi extremo suppicio corrigi non posset. Non ille ex illorum Principum fuit genere , qui amari a suis tantum cupiunt , cæci ad alia , modo amorem obtineant , cuius amittendi metu vitia tolerant , & in frænanda legibus aut pœnis Republica etiam ignavi evadunt , digni eo nomine , quos omnium odia prosequantur. Sed nec illorum severitatem imitatus est , qui , nisi ferro excindi scelera non posse autumant , nec tutam Majestatem credunt suam , nisi quotidianis terroribus obarmetur. Amavit suorum amorem Civium , quando constitutum habuit , se pro Patre gerere , & vel ea de causa putrida non raro membra rescidit , ne tabes ad alios pertingeret : timeri a Civibus perniciosis voluit , sic tamen , ut vel punientis Clementiam amare cogerentur. Vidimus ipsi quam lento gradu ad decernenda in improbos supplicia descenderit , & si quid patrocinari reo posset , summo studio investigarit : at vero , ubi salus Reipublicæ aut facinoris

noris atrocitas intempestivam fore veniam docuit, sic Clementiæ quasi oblitum vidimus, ut nullis precibus moveretur. Hac ratione de lenitatis laude nihil perdidit, & Justitiæ omnes numeros adimplevit.

In ipsa vero liberalitate quam Providentiam ac circumspectionem adhibuit? Fuit hoc quidem ejus Virtuti proprium, ut magna dona pro meritis non magnis redderet: verum ubi de constituendis Ecclesiarum Pastoribus, de Præsidibus Reipublicæ, de ornandis aut Burgundici Ordinis insignibus, aut singulari dignitate Viris actum est, tum ille spectatam diu multumque Fidem, Pietatem, Sapientiam, Justitiam sic exigebat, ut qui horum vel uno destitutus esset, ei ne sperare quidem aliquid liceret. Adeo ille dignitates Viris non Viros quærebat dignitatibus, probe gnarus, quantum utriusque interesset Reipublicæ pares gerendis muniis Rectores consequi, quantumque pretii dignitatibus accederet, si ab ipsa raritate existimationem obtinerent. Ita Sapiens ac Justus CÆSAR suorum industriam mirum quantum acuit: sic effecit, ut deessent nunquam, quibus munia tuto liceret committere, quique illa cum

emolumento Reipublicæ sustinerent. Quæ  
in hac Virtute moderatio tanto major ap-  
parere debet, quanto familiarius non raro  
etiam Principibus est vitium, in distribuen-  
dis muniis, aut clari generis, aut majoris in  
quosdam benevolentiae, neglectis cæteris,  
rationem habere. Quid, quod illa etiam  
consilia, e quibus immortalem gloriam, &  
magnitudinem sperare potuit, postponenda  
tum existimaverit, cum aut sanctæ illi in fœ-  
deribus colendis Fidei, aut Provinciarum  
Paci obfutura videbantur. Tanto nempe  
studio Socios, tanto amore Cives comple-  
xus est, ut de sua facilius magnitudine, quam  
de illius commodis detrahi pateretur. Te-  
stis hic mihi constituta animo e Belgii por-  
tibus in Orientem navigatio, cuius fructus  
& gloriam potentis Populi amicitiae **CA-**  
**ROLUS** posthabuit, & procuratis alia  
difficiliori longe via suorum commodis,  
duplici beneficio Rempublicam obstrinxit,  
quorum alterum intra voluntatem stetit,  
alterum datum est executioni.

Quodnam istud fuerit beneficium, si  
quis roget, illi ego verborum loco montes,  
portus, ædificia ostendam, & quo sæculo-  
rum

rum industria pertingere vix posse visa est,  
 ea tempore non maximo unius CÆSARIS  
 Virtute & cura sic perfecta exhibebo, ut non  
 tantum expectationem omnium absoluti  
 operis majestas & utilitas, sed & propemo-  
 dum fidem superarit. Non latebat CARO-  
 LUM, quantum Virtus sua posset,  
 difficilimis rebus parem arbitratus est, quæ  
 tam claras victorias a fortuna reportasset:  
 nec ignorare CÆSAR potuit, quantum divi-  
 tiarum & potentiarum ab adjectis sua Fortitu-  
 dine ad AUSTRIACAS terras Regnis acce-  
 sisset. His ille opibus Majestatem suam ac  
 splendorem Aulæ illustriorem reddere, hac  
 magnitudine ad sua commoda uti poterat:  
 & vero quis excelsa etiam Virtute præditus  
 tam præclarum augendæ suæ magnitudinis  
 occasionem neglexisset? Vicit in animo  
**CAROLI** incredibilis Provinciarum amor,  
 &, quod ne sperare quidem ausi sumus, pri-  
 mæ statim curæ tollendis itinerum difficul-  
 tibus impensæ: ad eam rem collata ali-  
 quot annorum industria, & incredibili cele-  
 ritate complonati montes, sublatæ angustiæ,  
 viæ omnes sic munitæ sunt, ut commercio-  
 rum facilitatem summam & perpetuam ha-

beamus, quæ, uti prius votis omnibus desiderata est, sic ob naturæ ipsius inclem tam sperari nunquam posse videbatur. Non jam itineris difficultas quenquam impedit, non timentur prærupta montium cacumina etiam visu ante horrida, non viarum angustiæ ab sterrent: nihil moræ, metus nihil aut periculi, jucunditatis plurimum, quando natu ram ipsam nostris commodis servire coa ctam intuemur. Auxit beneficium Regius in Italia Portus, in quo nihil seu ad amplitudinem, seu ad elegantiam desiderari potest, situ præterea tam commodo, ut allatæ illuc merces in ditiones AUSTRIÆ nullo negotio devehantur. Huic consilio rerum necessaria rum abundantiam debet AUSTRIA: nunc ad alia plurima suorum commodis tam intenti CÆSARIS beneficia gradiamur.

Non ego hic recensebo illa, quæ seu ad ornandam Urbem hanc Regnorum Sedem, seu ad delicias etiam nostras constituta sunt, quæque quotidie usurpamus oculis, Templa, Colosso, Fontes publicos, Ædificia: ô quantum securitati nostræ a munitis in Hungaria contra barbari hostis impetus Civitatibus accessit? quid ad illarum firmitatem defuit?

fuit? quantum ad hæc in tam numeroſo mi-  
lite præſidii? quantum in instruētis arma-  
mentariis emolumenti? quid deductæ in va-  
ſtas Hungariæ ſolitudines Coloniæ? quid  
erectæ, aut in meliorem formiam redactæ  
pauperum & orphanorum donius, ac va-  
letudinaria publica? quid constitutæ in Au-  
ſTRIA fabricæ, quæ illarum rerum copiam  
nobis domi noſtræ facerent, quas non fi-  
ne ingenti sumptu ac moleſtia e remotis  
terris petebamus? Adde his ædificata  
hominum Religioſorum Cœnobia, adde  
Archi-Episcopi Sedem, qua tot jam ſæcu-  
lis carendum fuit A U S T R I A E, hac in Urbe  
conſtitutam.

Sed enim nihilne in litteras beneficij col-  
latum eſt? nihilne ſcientiæ a ſapientiſſimo  
CÆSARE emolumenti acceperunt? Non  
me latet quidem, vel hoc uno illas nomine  
ſatis ornatæ dici poſſe, quod tanto Principi-  
tam charæ fuerint, ut inter maximas Impe-  
rii curas non parum illis temporis impende-  
ret, & immenso animo eas omnes comple-  
ctetur: at vero ubi extructam a CARO-  
LO Bibliothecam video, immortale quod-  
dam in litteras beneficium deprehendo. Ra-

pit me majestas ædium digna inhabitantis  
Sapientiæ domicilio : librorum vero infi-  
nitam copiam , naturæ thesauros , anti-  
quitatum monumenta , mathematicorum  
etiam operum elegantiam ac pretium cum  
intueor , verba deficiunt , quibus tanti ope-  
ris magnitudinem adæquem . Hic quidem  
honor Sapientiæ est habitus , hæ divitiæ  
Scientiarum amorem in Sapientissimi CÆ-  
SARIS animo declarant : majus tamen om-  
nibus illud in literatos beneficium est , quod  
publicis eam commodis patere jussit , ut  
excitata hoc medio Literatorum industria  
Scientiarum fervor augeretur . Neque mi-  
nora sunt alia , quibus literas promovit , be-  
neficia , quando & honorem haberri literatis  
voluit , & exquisitis eos ornavit favoribus ,  
& illorum conatus Augusta liberalitate ad-  
juvit . Hæc illa sunt , ut alia plurima præ-  
teream , immortalia tanti CÆSARIS in Rem-  
publicam omnem merita : huc Regnorum  
opes , huc incredibilis Sapientia , Fortitu-  
do , Liberalitas , omnis denique Magnitu-  
do & Authoritas ab eo collata est , ut per-  
petua beneficia haberemus : hoc ejus in Vir-  
tutem imperium , qua sic usus est , ut suo-

rum

rum felicitati , tranquillitati , commodis , eam totam consecravit.

Tua me nunc CÆSAR ! vocat Pietas , qua Te ipsum DEO per omnem vitam subjecisti : illa , inquam , Pietas , quæ Magnitudini Tuæ tantum addidit , quanto Te in Divinæ Majestatis oculis minorem reputasti ; nam cum hostes armis , Gives meritis , expectationem orbis rerum gestarum gloria superaveris , Pietatis Tuæ studio cœlum ipsum expugnasti . Nunquam Regnorum salus stetit firmior , quam cum in precibus ante DEUM Te abjiceres , neque arma Tua magis timenda erant hostibus , quam dum orandi utebaris assiduitate , qua ipsos Superos in armorum societatem evocasti . Consecrata sunt Religione , & reverentia Templis reddita , ipsa statim suscepisti Imperii principia , & quæ ejus loci sanctitati derogarent , sic abolita , ut Majestatem Divinarum rerum postliminio restitutam videremus . Lex hæc fuit , quam dictavit Pietas , quam Tua exempla illustrarunt ; quis enim sine intimo Pietatis sensu orantem Te spectare potuit , & majestatem illam , qua Regnum fata moderatus es , coram DEO sic abjectam cernere , ut par vilissimis videretur ?

Advertis omnium in se oculos fervor ille,  
 quo ardere visus es , quemque ipsis etiam  
 intuentibus afflasti. Demirati sumus illam  
 genibus nixi CÆSARIS compositionem ac  
 modestiam , quæ quorundam licentiam vel  
 solo aspectu correxit: sublatæ in cœlum ma-  
 nus & oculi , quam conjunctus es DEO,  
 non obscure declararunt : hoc Te signo ag-  
 noscere quivis potuit , si vel consueta alia  
 Majestatis indicia non adessent. Quid amo-  
 ris illæ lacrymæ , quibus diffluere videbaris ,  
 quando PANE EUCHARISTICO refectus es ?  
 quid noctes integræ inter preces ac suspiria  
 exactæ ? quid alia plurima Tuæ pietatis ar-  
 gumenta ? sic nempe incredibilis demissio ,  
 omnem Tibi , quando cum DEO agendum  
 fuit , majestatem abstulit , ut etiam infimis  
 minor esse appareres.

Erravi CÆSAR ! tantam magnitudo Tua  
 erga DEUM se exhibuit , ut major esse non  
 potuerit. Ille Tibi Regna & potentiam ,  
 ille opes & felicitatem dedit , Tu illius gloriæ  
 Templa , Colosso , monumenta publica sta-  
 tuisti : ille Tibi concessit victorias , & Tuis  
 ditionibus novas addidit , Tu hostium spo-  
 liis ornasti aras , Tu occupatis terris Divinum  
 Numen

Numen intulisti : Ille Tibi magnitudinem,  
 Ille animum Regnis parem largitus est , Tu  
 illum per omnem vitam conjunctum DEO  
 & subjectum servasti. Admirati sunt ex-  
 teri ejus Templi majestatem ac pulchritudi-  
 nem , quod supremo Numinis , & Divi  
 CAROLI honoribus a Te erectum est, Tuam  
 vero Pictatem, cum spectarent CÆSAR ! pul-  
 chrius longe aliquid , & quod vel Templo-  
 rum externam Sanctitatem superet , se vi-  
 disse profitebantur. Oblatum DEO , &  
 Virgini Sanctissimæ in auro æquilibri LEO-  
 POLDUM Filium, qui viderunt, dignum PIO  
 CÆSARE munus arbitrati sunt : animi vero  
 Tui quietem CÆSAR ! & redditas pro illato-  
 tam acerbo vulnere adeo amplas gratias, in-  
 auditum esse Sanctitatis Tuæ prodigium at-  
 toniti exclamarunt.

Scio ego IMPERATOR ! quam dulce sit  
 ob acceptas victorias DEO se gratum si-  
 stere , cæforum hostium manubijs ornare  
 Templa , & concessam Divino beneficio fe-  
 licitatem, magnitudinem, gloriam ad eum ,  
 quo profecta sunt, referre. At enim eodem  
 animo , eodem sensu exosculari manum ,  
 quæ plagas intulit , & cum favores cœlum

denegat , æquali tamen Pietatis studio illud  
colere , hoc profecto tam est arduum , ut  
assequi nemo possit , nisi qui semetipso sic  
exutus est , ut in D E I arbitrium totum se  
transfulerit , in ejus voluntate , finu , Provi-  
dentia , utcunque se res tulerint , sine omni  
prope sensu conquiescat . Istud Pietatis Tuæ  
singulare decus , aut prodigium verius exti-  
tit , quod Te tantum supra Temetipsum  
extulit , quantum infra D E U M demisit .  
Hoc Tu medio vastissimi molem Imperii su-  
stinere visus es , hoc præsidio in tanta tem-  
porum acerbitate Regna , Populos , Provin-  
cias conservasti : Tua hæc CÆSAR ! Pietas  
pœnarum illarum partem non modicam in-  
hibuit , quæ nostris criminibus parabantur .  
Talis erga D E U M cum ipse fueris , quo ar-  
dore ac studio in subjectis Tibi populis ejus  
cultum , amorem , gloriam promovisti ? cla-  
riora sunt hoc in genere , quæ usurpamus  
oculis , quam ut latere nos sollicitudo Tua  
possit ; cui enim alteri , quam Tibi , extin-  
ctæ Græci schismatis per Hungariam reli-  
quiæ ! cui compressa non in uno loco hæ-  
reticorum audacia ? cui apparentia hujus pe-  
stis nova semina sub ipsum initium suffoca-  
ta de-

ta debentur ? Tua fuit cura Orthodoxæ Fidei Præcones, qui errorem rudibus eximant, submittere , authorum vero contumaciam proscriptione coercere , qua dein re factum est , qod tot etiam primæ dignitatis Viri ad Ecclesiæ gremium reducerentur. Tu incredibili Fortitudine laborantem Ecclesiam erexisti , Tu D. Petri in Romana Sede Successoribus filiali semper devotione ac reverentia addictus fuisti, Tu illatas Christiano Nominis injurias armis ultus es, Tu pulcherrimum Apostolici Regis titulum summa dignitate sustinuisti: Tibi Metropolitana hæc Ædes debet, quod duplicis Crucis ac Pallii ornata sit insignibus : Tua providentia Ecclesiæ pares tanto muneri pastores acceperunt : Tu ruditis populi saluti ac commodo auctis per Hungariam Paræciis providisti. Viget Te Authore in hac Urbe adorandi per omnes diei horas EUCHARISTICI Numinis tam pia, quam proficua consuetudo : illa vero dierum octo Festivitas , quam Ecclesia velati DEI adorationi publicæ instituit, sic Tibi cordi fuit , ut nulla negotiorum mole, nullis injuriis prohiberi Te sineres, quin quater omnino latenti DEO publicum obse-

quium exhiberes. Prætereo infinita alia Pie-  
tatis Tuæ specimina, quæ, uti facem prætule-  
runt omnibus, ita Sancti Tibi CÆSARIS co-  
gnomentum adjecerunt.

Auxit hanc in DEUM Pietatem non  
minor amor, quo CAROLUS ferebatur  
in Virgineam ejus Matrem, quam Regnorum  
Præsidem jam tum constituit, cum detra-  
cto lateri, & appenso ad ejus Aras gladio  
perpetuum se MARIÆ servum in Monte  
SERRATO est professus. Quanto vero hunc  
amorem studio per reliquos omnes annos  
retinuerit, visitata totius HIEZINGANÆ MA-  
TRIS Ædes, renovata ad Illibatæ Virginis  
Colossum in ejus Festis Pietas AUSTRIACA,  
susceptæ ad CELLENSEM THAUMATUR-  
GAM peregrinationes ostenderunt. Quid  
memorem inscriptum MARIANIS cætibus sua  
manu nomen? Quid pretiosa donaria, qui-  
bus ejus Aras ornavit: nusquam scilicet me-  
lius liberalitatem suam impensam fore ra-  
tus, quam si tantæ Virginis honoribus fa-  
mularetur. Aliorum vero Cœlitum, quam  
venerationem habuerit, erecta illorum ho-  
noribus Templa, & Colossi, frequens in eo-  
rum Festis præsentia, impetrati Divorum  
hono-

honores & cultus publici , facundius omni lingua docuerunt.

Hæc Tua fuit Pietas CÆSAR ! dum vi-  
veres : nunc , quibus exemplis eam mors  
Tua illustrarit , videamus . Mortis nuncius ,  
quam forti magnoque animo a Te acceptus  
sit , latet neminem : idem vultus , eadem  
majestas oris , eadem animi tranquillitas , seu  
leges dare populis , seu Imperii majestatem ,  
amplitudinem , gloriam DEO reddere ju-  
bereris . Fecit hoc assuetum Virtuti pe-  
ctus & Fortitudo illa , quam per omnem  
vitam in Te suspeximus : fecit Pietas , qua  
Te Numinis arbitrio & voluntati subjecisti .  
Mortem vero ipsam quæ virtutes comita-  
tæ sunt ? quodsi per omne vitæ spatum  
nullam non illarum complexus es , ita in mo-  
riente omnes collectæ aderant , ut dignum  
orbe toto , dignum Cœlo spectaculum ex-  
hiberent . O ! quæ Tua cum DEO tum  
conjunctio ? quis intimæ pietatis sensus , quo  
ultimis Ecclesiæ præfidiis munitus es , & Au-  
lam omnem comitando Numini adesse vo-  
luisti ? quanta verborum sanctitas ? quan-  
ta vis & majestas , quibus Domum Augu-  
stissimam , Domum illam , in qua Pietas

semper viguit , extremum valere jussisti? quis amor ? quæ suspiria , quibus amato per omnem vitam DEO , Cor Tuum , tot clarum virtutibus nova religione moriens consecrasti? quæ fiducia ? quæ æternorum spes? quæ in sustinendis morbi doloribus magnitudo ? Magnus hic amor fuit , magna Pietas , magni animi Tui Fiducia CÆSAR ! at vero vita adeo sancte acta , reddita populis Justitia , administratum tanta Sapientia , integritate , Fide , Imperium , suave Tibi momentum ultimum , animi securitatem incredibileni pepererunt : illa æternorum spes erexit mentem , & immortalis vitæ desiderium accedit : non Tuorum larcymæ , non Urbis lamenta , non Provinciarum vota morari Te poterant , & ingentem illum complectendi Numinis ardorem inhibere ; ille rerum Divinarum amor , ille terrenis major animus eo festinare debuit , quo per omnem vitam ferebatur . Illam autem animi Tui demissionem , illam erga DEUM subjectiōnem quis admirari satis potuit , qua non modo vitæ ac mortis arbitrium illi plane tradisti , sed dolores etiam Tibi petebas adjici , ut Divinæ Justitiæ hoc in corpore satisfiat .

Ah !

Ah! siquid a Te sequius admissum est CÆSAR!  
virtutum magnitudo, orandi assiduitas, pie-  
tatis proferendæ studium , fortunæ iniqui-  
tas tam pio , tam excenso animo tolerata  
compensavit: cum in novos Te dolores of-  
fers , illud doces , quam exiguum in tanto  
fastigio Tuorum commodorum habueris  
rationem. Offers tamen , & suffixum cruci  
Dominum, quem in oculis, quem in animo  
impressum habes , imitari proprius etiam  
moriens desideras , & , quo Te illi studio in  
omni vita subjeceris, luculenter ostendis.

Talem Te amavimus IMPERATOR ! cum  
immortali Superum beneficio Te habere  
nobis licuit , talem Te amisimus : & enatus  
inde dolor modum nescit, quia jaeturæ ma-  
gnitudo sic obversatur animo, ut malorum,  
quæ perpeſſi sumus , hoc gravissimum sen-  
tiamus. Illud vero luctum nostrum in im-  
mensum auget , quod Tuis in nos meritis,  
quod amori, quod Virtuti Tuæ respondere  
non potuimus, atque vel ea de causa indigni-  
visi sumus , qui Te ultra frueremur. Sed  
nempe majora fuerunt illa , quam ut assequi  
possemus: si vel maxima fuissent nostra in  
Te officia , parum adhuc & prope nihil de-

dissimus. Interea immortales Tibi grates debet AUSTRIA , quæ cum primam Tibi lucem attulerit , tantum a Te splendoris consecuta est, ut vel hoc solo nomine foret maxima , quod Te nascentem susceperit. Agnoscunt Tua in se beneficia mœrentes populi, quibus felicitatem , commoda, tranquilitatem tribuisti : Regna , Provinciæ , literæ tam sapientem , beneficium CÆSAREM requirunt : ipsa Religio tanto vindice, tantis exemplis orbatam se gemit : ille Ordinum omnium luctus, illa suspiria , quam acerbum nobis vulnus illatum sit , ostendunt. Extabunt quidem infinita Tua in nos merita , & nulla ætas loqui desinet , cuius hæc Providentiæ , cuius liberalitati debeantur. At enim , quoties illa occurrit oculis , quoties animo repetentur , toties novo doloris pondere , novo luctu opprimemur. Illud nos erigit , quod Te erepto Tui imaginem habeamus , hoc nos beneficio etiam a morte afficis , quod Regnorum Hæredem , tam Tui similem , tam nostro bono ac desideriis natam intueamur. Tu fortunam Virtuti , Virtutem Tibi , Temetipsum DEO per omnem vitam ac imperium ita subjecisti, ut populo-

pulorum vota , merita , expectationem superaveris : ILLA Te sic nobis reddet, ut JUSTITIA , qua Regna moderabitur , CLEMENTIA , qua nostræ felicitati prospiciet , PIETATE , qua Te exprimet , omnium sibi animos , amorem , fidem , obsequium sit subjectura : ILLA cum Conjuge Serenissimo eam AUSTRIÆ , quam a Te accepit , conservabit Magnitudinem , Tuam , Suamque Gloriam ad omnes Posteros extendet . Ita CAROLUM THERESIA , Magnum PATREM Magna FILIA restituet : ita ille DEUS , in cuius Tu conspectu conquiescis , amabit AUSTRIAM : ita Regnorum votis annuet , ut nullo non tempore a PRINCIPIBUS Tibi similibus regantur.

## D I X I.

